

tuam sibi expetebant. Dignum doctrinae dexterritatisque munus contigit, cum difficillimis temporibus integro decennio Sedis Apostolicae Nuntium agebas apud Venetos, mox quinquennio apud Gallos; utraque namque gens & Romanae Ecclesiae disciplinam, & sine fastu majestatem in Te uno laudavit; sed nullibi melius, quam Parisiis in urbe frequentissima Ecclesiastici hominis officium implere potuisti, cum in maxima rei frumentariae penuria liberaliter aded in populum opes effudisti, ut publicae calamitati consulueris, & pauperes Te veluti patrem undique acclamantes invenerint: quo argumento novam in dies LUDOVICI XIV. Regis eximii benevolentiam in Te conciliasti, per quam servata inter Pontificem & Christianissimum Principem perpetua concordia, Tibique ad maximam dignitatem patuit accessus, quando Purpura, quam dignè sustines, donatus es, ac Ticinensis Ecclesiae Episcopatu, quibus honoribus imò virtutibus tuis undique coruscans, ad regendam Bononiensium Rempublicam fortunae patriae incremento missus es. Augustinum ibi alterum ex gente tua S. R. E. Cardinalem, doctrinà, & omnium virtutum genere laudatissimum nobis iterum exhibere visus es, cum nostris rebus praesses tanta justitiae pietatis, ac magnanimitatis laude, quantam nulla umquam aetas è nostrorum cordibus evellet. Nulli tamen ex meis, **PRINCEPS EMINENTISSIME**, cesserim studio colendi tui, quòd supra

b

cete-